



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

7. Conclusio. Malefici auxilio dæmonum possunt morbos inferre, homines suis incantationibus interficere, & pecora occidere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

certè curationis modus planè fuit diaboli-
cus, vt apertè colligitur ex omnibus adiun-
ctis. Quomodo autem impotentia coeun-
di maleficio procurata matrimonium im-
pediat, vel non, tractant D. Thomas, Bo-
nauentura, Paludanus, & alij Doctores,
cum Magistro, in 4. d. 34. & canonum pe-
riti in tit. de frigidis & malefic. & Summi-
tæ in verb. Matrimonium, de impedimentis.

7. Conclusio. *Malefici auxilio de-
monum possunt morbos inferre, homines
suis incantationibus interficere, & pecora
occidere.*

*Malefici est
hominibus
quàm peco-
ribus mor-
bos & na-
cem inferre
possunt.*

CONSTAT in primis ex historia Iob. 2.
ca. quem percussit vlcere pessimo à plan-
ta pedis vsque ad verticem. Et in Euangelio
Luc. 13. & Marc. 9. dæmon reddidit hominem
surdum & mutum. Et S. Augustinus in lib.
de diuinat. cap. 6. testatur sæpè accipere pote-
statem morbos immittendi, & aërem vician-
do morbidum reddendi. Idem patet ex L.
Multi. C. de malefic. & Mathemat. Multi, (ait
lex) magicis artibus vsi elementa turbare, vi-
tas infantium labefactare non dubitant, &
manibus accinctis audent ventilare, vt quis-
que suos conficiat malis artibus inimicos: hos
quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis
absumat. Efficiunt autem talia malefici siue ve-
nefici,

Q 2

nefici,

venefici, caussis naturalibus, veneno, intoxicationibus, herbis, alijsq; medijs, quæ multis modis norunt præparare, & cautissimè applicare.

Narrant quidam, quod Auerroës Auicennam intoxicauerit, ponendo toxicum super folia libri, quem Auicenna solitus fuerat legere: quantò magis diabolica ars nouit omnia occultissimè adhibere? De huiusmodi herbis, quibus homines solent necare, mentio fit. In L. 3. §. adiectio. & seq. ff. ad legem Corneliam de sicarijs & veneficis. Eiusmodi sunt cicuta, Salmandria, Aconitum, Pintuocarpus, siue Pytiocampas, Bobustrum, Mandragora & Cantharides. Aliquãdo inficiunt etiam aërem circumstantem, quem homo respirãdo attrahit. Aliquando insidiantur dormientibus. Familiare autem est maleficis vetulis, vt infantes & tenellos pueros fascinent. Hoc autem efficitur quandoq; vt Doctores tradunt, ex forti imaginatione hoc modo: fortis imaginatio immutat corporis coniuncti spiritus, & hinc immutatio spirituum maximè fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt. Oculi autem inficiunt aerem continuum, vsq; ad determinatum spacium: quomodo specula noua & pura ex aspectu mulieris menstruatæ, vt tradit Aristoteles in lib. de somno & vigilia, maculis inficiuntur. Sic etiam anima vetula vehemètissimè ad maleficium concitata, aspe-
ctu v

Et venenoso, & noxio corpus tenerum infan-
tis inficit. Contingit etiam ad talem effectum,
malignum spiritum ex pacto concurrere, &
occulte lædere infantem.

8. Conclusio, *Magi & malefici pos-
sunt multos morbos curare, quibus nulla
medicorum scientia mederi valet, non ta-
men omnes.*

PROBATVR prima pars: quia vtuntur arte
Dæmonum, qui præstant naturæ subtilita-
te, & longa rerum experientia: & multo rectius
omnibus medicis norunt rerum naturalium
virtutes & causas. Sic Plinius lib. 24. cap. 17.
variarum meminit herbarum, quibus Magi
vel ad morbos depellēdos, aut etiam inferen-
dos, vtuntur: quæ quia hominibus sunt ignotæ,
& velocissimæ operationis, plurimum admi-
rationis adferunt nescientibus. Ad idem facit
ratio S. Thom. in qq. disputatis de potentia, q.
6. art. 3. Sicut ars, quæ imitatur naturam, potest
quædam, quæ natura nequit efficere: ita dæmo-
nes multa facere possunt, quæ & præter huma-
num ingenium, omnem artem, & solitum na-
turæ cursum sunt.

Patet etiam secunda pars, quod non pos-
sint curare omnes morbos: Quia quicquid
possunt in hac arte, hoc efficiunt per applica-
tionem causarum naturalium: sed hæ non

Q 5

pos.